



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

In pace in idipsum, dormiam & requiescam: Quoniam tu domine
singulariter in spe, constituisti me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Per hæc nihil detraxisse uolo eorum sensui, qui hæc de sacramento intellexerant. Abundandū est unicuique in sensu suo, salua fide & pace. Nec hoc agimus, ut aliorum labores confutemus, sed ut, quantum possumus, proprijs ad Germanam intelligentiā accedamus, nō est reprobatum bonum, ubi melius & optimum laudatur præ bono.

In pace in idipsum, dormiam & requiescam: Quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me.

Hæc duo uerba sunt in hebreo, unus, Hierony. ita reddidit: In pace simul requiescam & dormiam, quia tu domine specialiter securum habitare fecisti me. Ista duo uerba, dormiā & requiescam, abunde dicta sunt psalmo præcedēte, q̄ his significetur mors naturalis & sepultura: quam q̄ scio b. Aug. alia tropologia sententem de obliuione rerum temporalium: quamuis & ipse fateatur id in hac uita non teneri.

Dictio, in idipsum, idē quod aduerbiū, simul, significat, & concordia sonat: ^{in idipsum} ut psal. cxxxij. Ecce q̄ bonū, & q̄ iocundū, habitare fratres in unū: id est simul seu in idipsum. Et psal. cxxj. Cuius participatio eius id ipsum, id est, simul.

Est ergo sensus: Lumine uultus tui firmatus & certus, q̄ mecum & pro me es, plenus sum gaudio: id est, in pace moriar, & libenter hanc uita desero: quia (ut psal. cxxj.) si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Itaq̄ meo iudicio, simul dormiam, & simul requiescam, id dicitur, quod dormire & correquiescere nobis dicitur, uidelicet, q̄ cum patribus suis simul dormituum sese pronunciat. Quomodo in libro Regum, frequenter dicitur, dormiuit cum patribus suis: & in libris Mosi: Congregor ad populum meum: & appositus est ad populum suum. Et ad Mosen: & ibis ad populum tuū: & Aaron uadat ad populum suum, & his similia.

Hoc ergo prestat fides uarijs passionib⁹ exercitata, ut mors pro somno pacis ^{Mors somnus} acceptetur, incredulis dira & dura uexatio. Nā quid aliud putas hac suæ mortis ^{fidelibus est} magnifica iactantia & commendatione uelit, q̄ ut non modo exemplum præbeat, quo ad quietam & suauem mortē perueniat (nempe uia crucis & passionum) iterum etiam ut simula contrario descriptam relinquat, uniuscuiusq̄ iudicio æstimandā mortem incredulorum pessimam, pauore, horrore, turbatione confusissimam: In qua nō est quiescere & dormire, sed, iuxta psal. Virum iniustum, mala capient in interitū: & iterum Mors peccatorum pessima, quia uiri sanguinum & dolosi nō dimidiabunt dies suos: Cum dixerint, pax & securitas, repentinus eis superuenit interitus. Modestissime ergo & occulte eos terret mala morte eorum, dum suā optimam commēdat, quia magis cupit eos exemplo suo mouere suauiter, q̄ terrore urgere, ad crucis & fidei uita, dum fructum eius uitæ, mortem tam gloriosam ob oculos ponit.

Quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me. Hæc sententia sumpta est ex Deutero. xxxij. & frequēter iterata per scripturas, quare ad fontem eius accedamus. Dicit Moses, Israel habitabit confidenter & solus. Ibidem, amantissimus domini habitabit cōfidenter. Et Hiere. xxxij. Et habitare faciam eos confidenter, perspicuum itaq̄ sit, quod Moses dixit, confidenter & solus, hoc Dauid, singulariter in spe, dixit: cum sint eadem utrobique uerba, eademq̄ sententia: unde cum interpres Deutero. xxxij. interposuerit coniunctionem (&),

G quæ non

Cōiunctio frequenter adenda. quæ non est in textu, etiam in hoc uersu ponenda erat, ut, singulariter & solus nam & frequens est in Biblia coniunctionem omitti, quæ tamen transferri non potest, ut Iohelis. ij. sol luna steterunt, pro sol & luna, ita & hic, confidenter & solitarie, uel cōfidenter & solus, uel singulariter & in spe. Ac si dicatur: uere hoc mihi prestitisti, singulariter & cōfidenter me habitare facisti, quod in Mose p̄missisti, dicendo: Israel habitabit cōfidenter & solus. Atque generalis & autentica sententia Mose, psalmum suum concludit, simul operans contra carnalem Iudæorum sensum exponens, quid Moses eo uerbo proprie intelligi uoluerit, & ad rem suam adaptas. Nam cum Moses dicat: Israel habitare cōfidēter & solū, atq; Israel in hoc psal. pulchre sit descriptus, hoc est: populo Iacob, facie ad faciem deum uiderit & lumē uultus eius habuerit (hoc est: in deum crediderit) recte ad se promissionem & plenitudinē Israeli datam pertinere dicit, sese cōfidenter & singulariter habitare factum. Sed & Iacob eodem de se fiduciam pronunciauit dicens: Et salua facta est anima mea. Quæ enim hoc aliud erat, q̄ q̄ singulariter & cōfidenter habitaret, securus de sua salute? Salua enim facta erat anima eius, sed in spe & securitate. Hac itaq; sententia & certissima spes salutis, est ipsa cōfidens & solitaria habitatio spiritualis, scilicet in deo ipso, ipsaq; salus anima.

Ideo propheta mortem non timet, sed in pace dormiturum se cum patribus suis dicit: quia factus est securus & certus de salute. Atq; ita uidemus, ueluti in lectionis Mosaicæ, qua David sese exercitauit eruens spiritualē eius sententiā, promotus in hanc uarijs tentationibus.

Sed quid est, solū seu singulariter habitare, seu constitui? nam in spe, seu cōfidenter habitare per se notum esse uidetur. Mæ temeritati uidetur esse idem quod libere & secure habitare, ut solitudo sit libertas, quo modo psal. lxxvij. Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos libere; id est, solus & securus. Et magis ad rem, Iudicium. xvij. Viderunt populum habitantem absq; ullo timore securum & quietum, nullo eis resistēte, magnarumq; opum & procul a Sidone, atq; a cunctis hoibus separatū. Hic solitudo eorū patet esse securitas, ut qui fuga hominū in hoc se separauerint, quo secure haberent, quo modo habere nō possent, si inter homines mixti fuissent: unde & nunc qui secure & quiete degere uolunt, separatim & solitariū locū quærunt, a quo propoſito uenit Monachorum (id est, solitariorū) institutū, propter securitatem, pericula mundi & hominū, fugientium in solitudines.

Monachi solitarij.

Securitas spiritualis i gratia fidei.

Quare idem est singulariter, quod secure, nisi q̄ singulariter naturam securitatis exprimit, scilicet, remotionem periculorū: Verum nisi hæc simul in spiritu fiant, Monachos hypocritas faciēt, ut qui externa pericula tantū uideēt. Magis hic de spirituali securitate loquitur, quæ tanta est, ut in medijs etiā mundi periculis, in morte, in inferno secura sit, & nō magis metuatur, q̄ si sola esset, atq; eo magis est sola, quo pluribus inuoluit periculis. Hæc est gratia fidei, & uirtus bonæ in deum conscientiæ: Et uide an non & Hierony. hanc securitatem hoc uersu senserit, quando dicit: Quoniam tu domine specialiter securū habitare fecisti me. Summa Summarum: Singulariter in spe habitare, est securus, & cōfidentem esse de salute sua in misericordia dei, qua fit ut mortem uelut gratissimum somnum expectet. Hæc (ut dixi) fides prestat passionibus exortata, quæ fructum hunc pacatissimum (ut Paulus Heb. dicit) affert. Contraria uero impijs continget omnia.

Quapropter

Qua propter sunt uehementer detestandi & damnandi quidam Theologiae De insania
(uocant) doctores, qui nos docent dubios & incertos esse debere an simus & pestilitate
 in gratia dei, ac per hoc an sit deus noster, & nos populus eius, & inuenerunt Theologoru.
 nobis distinctionibus suis, q̄ sacramenta, quo ad autoritatem & uirtutem dei
 operantis in illis, certum effectum gratiae operantur, sed quo ad suscipientem
 incertū, operatur, & hanc dubitationē asserunt esse piam, O pestilētes, si enim
 hoc uerum est, & quilibet Christianus ita debet pie dubitare, iam perijt articu-
 lus ille fidei certissimus: Credo Ecclesiā sanctam, sanctorū communionē, quia
 de me nō debeo asserere q̄ sum sanctus, nec tu de te, nec ullus de se, ergo oēs su-
 mus incerti. Atq; ita oēs incerti sumus, an deū habeamus, ac perijt tota Ecclia.
 Sed facessant stultissima & impiissima istae haeeres: Vnusq; sc̄p̄ id curare debet,
 ut nullo modo dubitet se habere deum, hoc est, patrem, creatorē, saluatorem,
 & oīum honorum largitorem, ut possit singulariter & in spe habitare, & non
 sicut mare inconstantissimū feruere, q̄ de impijs Isaias dixit. Si enim de sanctis
 id credis q̄ sint securi & fidentes, cur non etiam de te ipso idem credis, qui san-
 ctorum similis esse cupis, qui idem baptisma, eādem fidem, eundem Christum
 & oīa eadem accepisti: immo impiissime credis aliud de te, & aliud de sanctis,
 qui doces oportere eos dubitare, sicut tu dubitas: Aut ergo male doces, piam
 dubitationem, aut impie credis esse certum, quod dubitare iussisti, quia fides
 in dubiam rem non nititur. Neq; ego credidissetem has impias fabulas & pesti-
 lentissimas opinioēs in Ecclesia Christi, uel occulte serpere, nisi & legissem &
 audissem magnos Theologos, eas p̄ articulis fidei certissimis statuere & tueri,
 contrariamq; Catholicam sententiam, pro haeretica damnare: Tāta est cecitas
 optimatum Ecclesiae, tantus furor dñi. Sed haec alias, & cum alijs.

Constāter spe-
randū & non
dubitandum.

PSALMVS QVINTVS.

Ad uictoriam pro haereditatibus psalmus Dauid.

Quid ad uictoriā significet psalmo praecedēte, semel p̄ oībus dictum est.
 De haereditatibus multa lego, sed nihil quod meae hebetudini satisfaceret:
 Nam quod Lira & sui hoc loco sapiunt, ego non sapio, nec capio. Mihi quod
 uidetur, dicam: Certum est hoc psalmo non agi de passionibus & tribulationi-
 bus, nec enim persona psallentis ullo in uerbo hoc sonat, sed uniuersa quere-
 la est super iniquis & iniustis & malis. Quare scopus est meo iudicio talis, q̄
 Propheta orat contra hypocritas, operarios subdolos, falsos prophetas, qui po-
 pulum dei, & haereditatem Christi humanis & suis traditionibus seducunt, scopus huius
psalmi.
 quales Christus Matth. vij. & Ioan. x. Lupos rapaces: Apostolus Tit. i. Van-
 loquos & mentium deceptores, uocant. Et ut ad nostra secula ueniamus, sicut
 psalmo praecedēte iuris, ita in hoc Theologiae impiā professionem & abusum
 persequitur. Cum uero omnium sit nocentissima persecutio, quae sub specie
 ueritatis & pietatis grassatur (ut quae nomen dei semper praetexit) & haeredita
 tes dei maxime omnium uastat, ideo uehementissimis astat affectibus, tot re-
 petitis uerbis orat, tot nominibus impios accusat, totusq; ardet zelo, ut de se
 ipso possit dicere illud psal. lxxvij. Zelus domus tuae comedit me. Nam nec in
 ullam rem Christus quoq; Petrus & Paulus aequae ardent & solliciti sunt, atq; in hypocritas
Christus &
Apostoli in-
surgunt.
 in hos phrenoparas & operarios mercedum, in quos & Prophetae toti insur-
 gunt. Igitur falsos p̄phetas, hypocritas, haereticos, superstitiosos & omne illud
 G ij hominum